



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Sacrificio Missæ Expedite Celebrando Libri III

Tamburini, Tommaso

Coloniæ Agrippinæ, 1661

Quales Missæ Capellano, vel Sacerdote sint recitandæ, Cap. 6

urn:nbn:de:hbz:466:1-41878

moris est; alteram vero ad recipiendam Sacram Hostiam supra Corporale, ipso uno Corporali non contenti.

De hac re non nisi verba Gavanti hic juvat exscribere. *Qui duplicem adhibent Pallam (inquit) a alteram pro Calice, alteram pro Hostia, approbante, ut aiunt, Summo Pontifice, non sunt reprehendendi non tamen imitandi sunt ab aliis sine Pontificia facultate; esset enim aditus Ritus, quæ est à Pio V. prohibita, Hæc Gavantus. Et rectè, si enim id Pontifex concessit, locus non est quæstioni.*

CAPUT VI.

Quales Missæ à Capellano, vel Sacerdote sint recitandæ.

Missæ vel celebrandæ sunt ex devotione, vel ex stipendio.

² Gavant. in Rubr. Miss p. 2. tit. 1. nu. 1. liz. M. fina. A a z

dio accepto, vel ex promissione,
vel ex simili quapiam obligatione,
& de singulis quæri potest, quales
Missæ sint recitandæ. De singulis
ergo separatim.

§. I.

*Quales Missas ex devotione licent re-
citare.*

2 | **M**issas licet, quæ à Rubricis Mis-
sæ præscribuntur. Præscribun-
tur autem regulariter eæ, quæ con-
cordant cum Officio illius diei; nã
etiã in feriis simplicibus juxta Ru-
bricas fiet, si non sæpe, sed raro, &
ex causa fiat mutatio. Licet enim in
Rubrica & dicatur, votivas posse di-
ci pro arbitrio Sacerdotis, quocun-
que die Officium non est duplex,
tamen in alia *b* sic habetur. *Sequen-*
tes

a In Rubric. Miss. de Missis votivis
n. 3 *b* In Rubric. quæ ponitur ante ip-
sas Missas votivas de Sanctiss. Trin. &
sequentib.

tes missæ votivæ, licet pro Sacerdotis devotione quacumque die dici possint per hebdomadam, quando festum non occurrit, hoc tamen passim, nisi rationabili de causa fieri non debet, sed quoad fieri potest Missa cum Officio conveniat, & in alia a Quæ missa votiva dici possunt quocumque die, nisi fuerit Dominica, vel Officium duplex. Vbi rectè notat Gavantus; eadem propter paritatem rationis, esse in omnibus votivis, ut nimirum passim non dicantur in Dominica, vel Officio duplici.

3 Ex his ergo Rubricis simul unitis colligimus Primo, arbitrium Sacerdotis, vel ejusdem devotionem non esse hic amplè, sed aliquantulum strictè intelligendam, nempe pro arbitrio, seu voluntate rationabili, & ex causa.

4. Secundo juxta Rubricas, re-

Aa 4 gu-

a In Rubric. quæ ponitur ante Missas votivas Beatissimæ Virginis.

b Gavant. in Rubr. Miss. p. 1. c. 4. tit. O.

regulariter non licere Missas votivas, vel pro Defunctis (quæ ad votivas reducuntur) celebrare, in die Dominico, in festo duplici. Et in his omnibus diebus, in quibus prohibetur fieri de festo duplici. Argumento aimirum sumpto à fortiori, atque adeo non posse celebrari votivas infra Octavã Epiphaniæ, Pascharis, Pentecostes, Feria quarta Cinerum, In hebdomada majori, in Vigiliis Natalis Domini, & Pentecostes. In ceteris vero licere. Illos Dies, nõ permissos seu prohibitos, hos vero, Permissos vocabimus, in posterum. Dixi (regulariter) quia excipiuntur causæ graves, quando etiam in festis, sed non majoribus conceditur à Rubricis cantari duas Missas. Alteram Votivam solemnem cum Gloria, & Credo in paramentis convenientibus v.g. de Eucharistia, quando solemniter est exponenda, altera de die currente. Dixi iterum (regulariter) propter quasdam concessiones, de quibus

mox

mox nu. 8 13 14 & quidem quando
favet similes concessiones, voca-
bimus deinceps, claritatis gratia,
dies concessos. Peter quis ad maio-
rem instructionē, quæ nam existi-
mandæ sunt graves causæ.

Respondeo, quæ faciunt ad bo-
num Reipublicæ, vnde & Princi-
pis, vel Prælati, qui Reipub. caput
est. Hinc necessitas pluvix, ingruē-
tis belli, grassantis pestis, vel mali
cuiuscumque vniuersalis, sicut dat
causam processionis generalis, sic
& Missæ prædictæ, salus item ex in-
firmitate periclitans Summi Pon-
tificis, Episcopi, magni Principis,
Comitia item Generalia, vel Pro-
vincialia Regularium, & expositio,
Eucharistiæ tamen diebus vltimis
Bachanaliū, tum in ceteris die-
bus pro illis locis vbi per gyrū to-
to anno Oratio quadraginta hora-
rum celebratur: quia pertinent ad
bonum commune; sicut etiam so-
lemnes gratiarum actiones pro im-

A a j

pera-

petrata communi gratia, huic redud-
cuntur.

Notat autem Gavantus a indu-
cta solēni expositione Eucharistiæ
debere cantari Missam votivam de
Sacramento, quæ habetur circa finē
Missalis, non autem festivam Cor-
poris Christi (nisi casus accidat in-
tra eundem Octavam) & tempore
Paschali addendū esse *Alleluia*, sicut
in ceteris votivis : dicitur de-
bere unam tantum Orationem cū
Gloria & Credo (unde videtur colligi,
non oportere in fine Missæ reci-
tare Evangelium dicit & Præfatione
de Nativitate, quia solet esse pu-
blica causa, non autem hæc conve-
nire in Missis privatis.

Advertit denique Lazzarina b quā-
do in dictis occasionibus adhibenda
sunt ex Rubricis paratenta viola-
cea, consequenter in Missa solemniter
omitti debere *Gloria & Credo*.

Iam
a Gavant. p. 2. in Rubric. Miss.
t. t. 14. n. 2. & 3. b Lazzarina p. 1.
ca. 21. n. 17.

Iam vero duo hic restant inquirēda. Primo quo peccato peccant, qui dicta non observant. Secundo, quæ sint causæ rationabiles nō observandi.

Quid peccet, qui Votivam, vel aliam à corrente, etiam si currens sit duplex, sine causa celebrat.

Dico, consultendum quidem esse, ut id non fiat, tamen si fiat, non puto esse (seculo. 6. emendato. & animo introducendi novum Ritum) mortale, saltem in Missis privatis. Ratio est, quia nō apparet de hoc latum esse grave præceptum, cum sola Rubricæ id non ostendant, quæ ut supra c. 5. §. 1. diximus, interdum solum consilium inducunt. Esse veniale ego non dubito, quia Rubricæ de hac re, cum continet

a Bonac. citans Azor. Reg. Sotum. Medinam, aliosque de Sacr. d. 49, ult. p. 7 § 3 n. 20

contineant magnā cōvenientiam, sitque in contrario aliqua boni Ordinis turbatio, videntur in praxi esse recepta sub veniali, nisi excuset causa aliqua, de qua mox. Quamvis non negem probabiliter suariū in Missis privatis (nam in solemnibus maior est rigor observandus) nullam culpam agnosce: e, cum nō sit vllum de hac re, vt diximus, præceptum, & timorati sine scrupulo faciant.

7 Neque obstat, esse mortale notabiliter addere vel demere Orationes Missæ: non obstat, inquam, quia addere, vel demere, nisi parvitas materiæ excuset, sapit mutationem Ritus, quod non est in casu, quo vna Missa rite approbata dicitur pro alia simili modo approbata.

Non nego, ex aliquibus circumstan-

a Suar. de Sacr. disp. 83. sec. 3. §. Dico primo sequiturque Portella in dub. reg. v. Missa n. 7. b Bonac. de Sacr. d. 4. q. ult. § 7 n. 3.

stantis, etiam in casu nostro, posse
 esse quid grave, nam si quis v.g. die
 Dominicæ Resurrectionis veller in
 paramentis nigris celebrare Mis-
 sam Defunctorum, cum sic videat-
 ur irrogari injuria tantæ solem-
 nitati non esset facile, nisi excuset
 ignorantia, à culpa gravi excusan-
 dus. Idem si temere, & semper mu-
 tatio fieret, saperet enim contemp-
 tum, ut universaliter dixi e. s. §. 7.
 num. 6.

*Qua sit causa iusta dicendi Missam
 votivam, seu aliam à
 corrente.*

PRIMA causa est, quando cor-
 pus in sepulchro præsens est in
 Ecclesia tunc enim posse in Domi-
 nicis, & festis celebrari Missam
 solemnem Defunctorum Conces-
 sit a Sacra Rituum Congregatione
 B b ubi

a Sacra Rituum Congr apud Gav.
 in Man. Episc. v. Missa. num. 27. G. ite
 Rubr. Miss. par. tit. 5. n. 2. litt. X.

ubi usus obtinuit, ne quis sepeliatur sine Missa. Sed non in die Resurrectionis Domini vel simili multum solemniter: tunc enim debet Officium Sepulturæ in sequentem non impeditam diem transferri. Sabbato Sancto post Missam diei Solemnem poterit in die obitus celebrari Missa, de Requiem, cum jam, ex usu, solennitas festi Paschalis sit die sequenti, & ad summum solum tempore Missæ prædicti Sabbati. In die Depositionis Defuncti, & in Anniversariis, qua ratione in festo duplici, & semiduplici possit cantari una Missa Defunctorum, & quomodo, si incidant ejusmodi Anniversaria in festo de præcepto, debeant transferri, vide apud Gavantum. a

9. Secunda. Qui careret Missali novo, posset, ne omitteret eod. die Sacrificium, recitare Missam votivam cum alio Missali, in quo esset

a Gavantum, in Rubr. Miss. p. 1. t. 5. 14
Fol. X

esset votiva, non autem currens.

10. Tertia. Qui navigationē periculosa incipit, qui Nuptias benedicit, qui pluviam, vel serenitatem necessariam petit, qui necessitatibus premitur, vel aliquod notabile damnum timet, potest in feria, in simplici festo, & in semiduplici Missas votivas pro illis necessitatibus conducentes celebrare. pro re tamen gravi publica, posse unam solemnem cantari, & in festis non majoribus, diximus n. 4.

11 Quarta. Ei, qui ducitur aliqua non modica devotione ad dicendam aliquam Missam, eam libens in dictis diebus permittis concederem quia videtur timoratos conscientiae id sine habitatione in praxim passim deducere, saltem sequuntur hi probabilem Suarii sententiam, quam n. 6. retuli.

12 Hinc interrogatus ab Illustrissimo Archiepiscopo Montis Regalis D. Ioanne de Turrisfiglia, An propter suam infirmam valetudinem, qua stare diu pedibus tunc non
Bb 2 posset.

posset, posset die Dominico palmarum, & duobus, seu tribus sequentibus licite, in suo Orationis privato, recitare votivam de Passione Domini, quæ brevior est, quam illæ currentes, in quibus legitur Passio Domini, putavi ejus devotionem rationabilem præbere causam, ut in dicto Altari privato sic celebraret. Multo magis, quia votiva Passionis Domini congruebat tempori.

13 Quinta. Ut impleatur voluntas Testatorum, vel Fundantium Capellanias amplior facultas conceditur, de qua mox §. seq. n. 1.

14 Sexta. Qui officium aliud recitans, deinde celebrat in Ecclesia, ubi agitur dies aliquis festus loci illius proprius, non solum potest, sed ex magna congruitate debet Missam loco conformem recitare, quia secus esset aliqua populi offensio, ut notavit Gavantus. *a* Huc red-

a Gavant, in Rubr. Miss. p. 3. 16. 21
n. 16, §. non tamen.

reducitur, quod dicam infra de
Capelianis Monialium §. sequenti
numer. 7.

§. II.

*Quales Missa ex recepto stipendio celebra-
brari debeant, vel
possint.*

Sacra Rituum Congregatio a
censuit tolerari posse Missas, de
Requiem, in festo duplici, quod non
est de præcepto, ut Testatorum
voluntates adimpleantur. Non autem
(habet ibidem Gavantus) ad arbi-
trium vivorum, quod bene nota,
sed pro implenda lege Defuncto-
rum.

Hinc facile colligis, majorem fa-
cultatem concedi Sacerdotibus ob
Fundatorum voluntates, à quibus
acceperunt statum stipendium,
Bb. 3. quam

a Sacra Congreg. apud Gavant. in
Rubr. Miss pag. 1. 1. §. Sacramentum.

quam ob aliam causam Vnde quando Panormitanus dixit a turpe esse Sacerdotibus ad laicorum petitiones relinquere Missas cum Officio concordantes propter peculiare ex devotione, est intelligendus de petitionibus ordinariis vivorum, non vero de dispositionibus mortuorum. (adderem libens propter paritatem rationis non vero de stabilibus foundationibus, quantumvis virorum) quibus merito magis tribuit Sacra Congregatio, sive propter gratitudinem relictii legati, sive ad illiciendos animos ad similes dispositiones. Sed jam distinctius id quod in titulo proposuimus decernamus. Recolatur autem juxta dicta §. præcedente n. 4. quoniam sint dies non Permissi, seu prohibiti, qui Permissi, qui Cōcessi.

2 Dico Primo. Sacerdos, accepto stipendio, quamvis promiserit sive juramento (nam cum illo di-

cam

a Panorm. C. Quidam laicorum.
De Missarum celebr.

sare ad superabundantiam potest
fructum, quem per preces proprias
Votivæ Missæ, vel Enebræ lucrari
forte poterat petens. Recte enim
Sylvester apud Marchinum ^a ait
nullam Missam esse Defunctis sa-
lubriorem (addo, & Sanctis, quibus
gratificari per votivas intendis,
gratiorem) quam propriam dici
currentis.

4. Duo in his duobus dictis ad-
verte. primo, ut hæc fiant sine scan-
dalo; quod tamen facile removebis
instruendo de rei veritate astantes,
si forte adsint, qui scandalizentur,
quasi non servares promissum. Ad-
verte secundo, te posse conformari
cum Suarii sententia sane probabi-
li relata s. præcedente n. 6. dicen-
tis nullum esse peccatum, eas voti-
vas recitare, & sic promissas voti-
vas sine scrupulo celebrare non
impedieris: id quod multò magis
facere potes, & fortasse debes, si ad
celebrandam talem Missam notabis

liter.

^a March. *ibid.* n. 7.

liter majus stipendium acceptasti,
tunc enim huic opinioni probabili-
te inhaerensurum implicite promissisti.

§. Obiicies contra nostram sen-
tentiam. Si promissit quis Votivam
v.g. de Beatissima Virgine, vel de
Requiem infideliter ager celebra-
do de currente, ergo ei non licebit.
Respondeo, non infideliter agere,
qui ordinationes Ecclesiasticas cu-
stodit: cum omnis promissio intel-
ligatur observanda, sine legum
praesudicio. Quare si promissisti
Missas, quas secundum Rubricas
tibi celebrare non licebat, male
promissisti, & non teneris stare pro-
missis. In posterum ergo ne pro-
mittas, vel saltem mente intelli-
gas, te promittere Votivam æqui-
valenter, nam sic percurrentem
promissioni omnino satisfacies; si
quando autem stipendium solito
majus tibi offeratur, ut celebres
Missam contra Rubricarum prohi-
bitionem, illud nequaquam acce-
ptes.

6 Dico Tertio. Quando Ecclesia per dictas Rubricas mutationem Missarum positivè vult, quod uno verbo dicemus in diebus Concessis, debet Sacerdos Votivam promissam omnino celebrare: Ratio est quia tunc non militat excusatio petita à lege Rubricarum, & ex alia parte obligatur quispiam stare promissis, nulla excusatione intercedente. Hinc si Votivam solemnem pro bono publico etiam in Dominica die promissisti, cantare illam debes, idem si in die obitus, præsentè corpore, vel ad voluntates Defunctorum implendas, vel ad similia, juxta supradicta Missas promissisti, quia tunc non adest una excusatio in contrarium.

Rogas, quando Sacra Congregatio a decrevit, quòd Cappellani Monialium Breviaria utentium non Romano, celebrare possint Missam (cum suo Missali Romano

a Apud Gavant in Rubr. Miss. p. 2.
 §. 10. n. 16. § Intellige.

mano tamen) de Sancto Ordinis,
de quo Moniales Officium dicunt,
quando, inquam, ira decrevit, per-
miserit ne solum, an positivè concess-
sit? id enim scire oportet, ut videa-
mus. An si Capellanus promisit ex
stipendio illam Missam de tali Sancto,
debeat ad litteram observare
promissam.

Respondeo mihi videri concess-
sisse, atque adeo Capellanum de-
bere: nam licet Sacra Congrega-
tio utatur verbo (possint) quod
permissionem sonet tamen ex fine
colligimus esse concessionem: re-
spexit enim Sacra Congregatio ad
conformitatem Missæ cum Offi-
cio dicto à Monialibus, quarum est
Ecclesia, siquidem indecens vide-
batur, ut ubi principales uno modo
Officia celebrant, alio celebrare
accessorius Sacerdos.

§. III.

*De Missis cum iuramento homi-
ni promissis.*

1 Juramentum in promittendis Missis raro interponitur in elemosynis manualibus, sed frequenter in Capellanis, & similibus, quando Sacerdos astipulans contractui jurat se Missas dispositas à Fundatore dicturum, dispositæ autem non raro inveniuntur Missæ aliæ à currentibus.

2 Et quidem regulariter, qui etiam cum iuramento promittunt Missas, semper intelligunt, seu (nisi contrarium expressum fuerit) intelligere præsumendi sunt, salvo Ritu, & Rubricis Ecclesiæ; & sub hac limitatione saltem mente retenta, debere Sacerdotes, etiam accepta cum iuramento stipite, promittere Missas votivas, monent

pru.

prudentes Doctores, & sed adhuc restat difficultas in eo casu, quo quis expressè jurans promisit votivas, vel de Requiem, vel alias, à currentibus, an possit eas mutare in ipsas currentes?

3 Dico primo, si jurans quis dictas Missas homini promisit, in eademque dies festus, seu Officium, in quo juxta Rubricas non licet eas recitare, quos dies prohibitos supra nominavimus, non obligatur, etiam si ipse animum habuisset ad illas se astringendi, sed debet currentes recitare. Ratio est, quia promissio homini etiam cum juramento facta de re interdicta per legem, quando talis lex obligat ad culpam, etiam venialem, & nulla est, unde nec indiget relaxatione. Idem dic in diebus permissis juxta nostram sententiam allatam §. 1. num. 6. quia adhuc (si abest causa)

Bb 7

ellet

a Lege Fraxinell. in Resolut quam ponit Gav. in Rubr. Miss. in fine.

b Sanch. l. 3. in Dec. c. 9. n. 19. & 20

esset cum peccato veniali. Juxta
sententiam Suarii mox dicam num.
sequenti.

4 Dico secundo. Si missas non
currentes cum jurejurando homi-
ni quis promisit, incidatque feria,
vel festum, in quibus licet easdem
non currentes ex positiva conces-
sione celebrare: eas non currentes
obligatur recitare, nec in curren-
tes trāsferre licite valet. Ratio est,
quia promissio cum juramento de
re, quæ non est, nec peccatum mor-
tale, nec veniale obligat: *a* at jam
ex concessione quam supponimus,
non est peccatum eas tunc recitare
ergo, &c. Idem dic in diebus per-
missis juxta sententiam Suarii,
(quam certe, quia probabilis est,
potes tu sequi, ut diximus dicto
§. 1. nu. 6. sive,) quia tunc, nullum
est, in ejus sententia, peccatum,
idem, quotiescunque nulla culpa
est ejusmodi Missarum mutatio-
nem fecere, ut eadem ratio probat.

§ Ad

a Idem loc. cit.

§ An semel, vel bis non servare
juramentum de Missa celebranda,
sit mortale, dicemus lib. 3. c. 1. § 9.
p. 19. junctio n. 22.

§. IV.

*De Missis soli Deo per Votum, vel per
juramentum promissis.*

SI voveas, vel jures soli Deo. te
dicturum aliquas Missas non
currentes; quid facies in prædictis
diebus, vel prohibitis, permis-
sis, vel concessis?

Dico Primo, in prohibitis, &
permisissis te non obligari. Ratio est,
quia est latum discrimen inter pro-
missionem factam homini, & fa-
ctam Deo; promissio enim facta so-
li Deo, sive per votum, sive per ju-
ramentum numquã obligat, quã-
do impeditur melius bonum, at
promissio homini cum juramento
facta semper per se obligat quando

rem

a Sanch. *ibid.* n. 13

nam promissam servare, non est peccatum mortale, nec veniale, esto impediatur melius bonum. Cum igitur in casu nostro impediatur illud majus bonum, id est, conformitas Officii cum missa requisita à Rubricis, talis promissio Deo facta non obligabit.

2 Dico Secundo. In diebus seu in occasionibus positivè concessis, obligatur eas Missas Sacerdos dicere, quas voto, vel jurejurando Deo soli promisit. Ratio est clara, quia tunc conformitas Officii cum Missa nequaquam à Rubrica requiritur.

3 Rogabit quis, An si Sacerdos cum juramento immediatè promittat animæ forte purganti in Purgatorio aliquas Missas fœnebres, censetur promittere homini, an soli Deo? Quid, si promisit immediatè per votum, seu juramentum alicui Sancto Missam votivam? præstat enim hæc scire, cum diversum jus, ut ex dictis patet, inde oriatur.

4. Respon-

4 Respondeo. Si promittat Sancto, regulariter Deo promittit, & quia ipsis promittitur, in quantum Deus in illis honoratur, & sic promissio tendit in Deum. Dixi (regulariter) quia si quis Sancto promitteret expresso animo non se obligandi Deo, sed Sancto, ut excellenti Creaturæ, non est promissio facta Deo, sed & homini. Si vero promittat animæ purganti, homini regulariter promittit, quatenus ejus potiore partem, hoc est animam, intendit velle ab igne liberare Regulariter, inquam, nam si quis id promitteret, expresso animo, ut in illa exultante; & beata honoraretur Deus, tunc, cum in Deum tenderet, Deo factam esse promissionem, convinceretur.

§. V. De

a. Sanchez in Deo, l. 4 c. 1. n. 41.

b. Idem ibid. n. 43.

§. V.

*De Missis ex præcepto à Superiore
injunctis.*

Hic distinguendum est. Vele-
nim tibi Missas alias à cur-
rentibus sub culpa injungit, is qui
Superior non est in legibus Eccle-
siasticis, vel qui est Superior, nem-
pe Pont. Summus. Si prius, non ob-
ligaberis ad illas, relinquendo
currētes, quas Rubricæ præcipiūt,
immo neque relinquendo illas, ad
quas permissivè se habent: si poste-
rius, obligaberis. Ratio est, quia in
priori casu negligenter leges Ec-
clesiasticæ sine legitima facultate,
atque adeo in nostra sententia pec-
carentur. In posteriore adesse dispō-
sitionē legitimi Superioris data im-
plicitè in præcepto de talibus Mis-
sis recitandis, atque adeo nihil fie-
ret contra leges: unde nec peccare-
tur, & consequenter vim suam ha-
beret

beret præceptum. Dixi (in nostra sententia) ut notarem, te, si sequaris Suarii sententiam etiam in prioribus casu obligari, ut ex dictis §. 3. nu. 4. constare potest.

De Missis injunctis est Pœnitentia.

Hinc infero Primo, minus rectè se gerere eos Confessarios, qui (nisi sequantur prædictam Suarii sententiam) Missam votivam, vel funebrem injungunt pro Pœnitentia Sacramentali Sacerdotibus celebrandam in diebus illis, sive prohibitis, sive solum permisis, quia Confessarius non potest contra Rubricas quemlibet obligare, nec impedire melius bonum conformandi Officium cum Missa. Quare in hoc casu Pœnitens, melius currentem, quam injunctam recitet, ex mea sententia.

De

De Missis injunctis ab Episcopo in Ordinatione Sacerdotum,

3. **I**Nfero Secundo, quod dicendum sit ad illam difficultatem, An quando in pontificali Romano in Ordinatione Sacerdotum ipsis ab Episcopo ordinante præscribitur, ut post primam Missam celebrent unam de Spiritu Sancto. Alteram de Beatissima Virgine. Tertiam de Defunctis, an, inquam, debeant novelli præbyteri eas celebrare in diebus prohibitis, an potius in permissis, vel in concessis? Ajo non debere in diebus vetitis; debere in diebus permissis, & in concessis. Ratio prioris dicti est, quia id præceptum (ut notat Gavantus) intelligitur, salvis Rubricis Missalis: Rubricis, inquam, prohibentibus, alioquin absouit esset celebrata prima Missa, in Natali Domini

v. g. re-

a Gavant. p. 1. tit. 4. lit. Q. S. Neque putes.

v.g. recitare prædictas votivas, & de Requiem, in tribus sequentibus festis. Ratio posterioris est, quia cum hæc præscriptio ortum habuerit a Summo Pontifice, cujus Jussu ordinatum fuit Pontificiale, potuit Pontifex pro hoc casu abrogare illas rubricas permissivas de constanti conformatione Officii cum Missa. Et potuisset etiam abrogare illas Rubricas prohibentes; sed nos ex inconvenienti, quod inde sequeretur, quod nimirum deberent aliquando dici Missæ votivæ, & funebres in diebus solemnibus, colligimus prohibentes non fuisse abrogatas, fuisse autem permissivas, quia tunc, sine inconvenienti, Missæ illæ ab Episcopo injunctæ recitari possunt.

*De Missis Defunctorum promissis in
Altari privilegiato.*

1 **S**olet Pontifex Maximus alicui Altari concedere, ut si ibi die Lunæ cujuslibet mensis celebretur Missa pro Defunctis, liberetur anima ab igne Purgatorii. Jam, si tali die incidat festum de precepto, seu festum duplex, poteritne ibi celebrari, vel ex devotione, vel ex promissione Missa Defunctorum, sine qua non liberabitur anima?

2 Præmittendum est ejusmodi Altaris privilegium duobus modis concedi solere. Primo sic. *Qui in tali Altari celebraverit die Lunæ pro Anima Defuncti, seu pro Defuncto, Animam extrahet à Purgatorio.* Secundo. Sic *Qui in tali Altari celebraverit Missam de Defunctis, seu Defunctorum, seu Requiem, An non à Purgatorio liberabitur?*

Si primo modo concessum fuit privilegium; non est necesse, ut dicatur *Missæ de Requiem*, sed satis erit si dicatur *currens*, applicetur tamē pro Defunctis, hoc enim solum notat illud (*pro Anima. seu pro Defunctis.*) Quod si contrarium habeatur in quadam declaratione Sacræ Cōgregationis allata à Gavanto, Barbosa, & Diana apud Lezzanam, a satis sit respondere, de ea non constare authenticè. Atque in hoc casu non habet locum proposita difficultas, ut ex se patet.

Si vero concessum fuit privilegium secundo modo, necesse erit celebrare *Missam de Requiem*, id enim illud notat (*Missæ Defunctorum, seu de Defunctis, sed de Requiem.*) & in hoc casu procedit dubitatio.

3 Dico, si in die Lunæ incidat festum de præcepto, vel duplex, atque adeo sit dies impedita, non posset

U. Lezzana v. Missa n. 48.

se a celebrari Missam funebrem, atque adeo eo die inutile esse privilegium. Ratio est, quia privilegium semper intelligitur, salvo jure Rubricarum. In diebus, quos supra §. 2. num. 4. permisos appellavimus, ideo puto in Altari privilegiato posse recitari Missam de Requiem, quia passim video id fieri ab omnibus, etiam timoratis: & ratio potest esse, quia id à Summo Pontifice indulgeri putandum est, secus nimis raro ejusmodi Altare privilegiatum suo privilegio fruere-
tur.

4 Dices. posset dici per tale privilegium pontificem dispensare etiam pro diebus prohibitis; sicuti diximus §. 5. num. 1. & 3, dispensare, quando precipit. Respondeo: nego id in casu nostro discretionabiliter posse; non enim unum ex his bene inferitur ex alio: Pontifex de-

a Sacra Congreg. apud Gauant. in
Rubr. Miss. p. 1. tit. 5. nu. 2. lit. 2. §. Sa-
cratamen.

dit privilegium de unate, ergo dispensavit in alia: saltem non constat in re nostra de dispensatione, constat vero de lege Rubricarum: cum ergo lex possideat, illi standū. Non ita se habet, quando præcipit, nisi enim tunc dispensaret, nullam vim haberet præceptum: cum contra in casu nostro jam privilegium habet vim in aliis diebus Lunæ non prohibitis.

5 Una tantum exceptio hic habet locum, posse nimirum die Lunæ impedita dici in dicto Altari Missam de Defunctis, quando corpus est præsens insepultum juxta dicta §. 1. nu. 8. & quando implendæ sunt voluntates Testamentum, ut diximus §. 2. nu. 1. in his enim casibus posse celebrari Missam de Requiem in diebus ibidem dictis quamvis prohibitis, concedere videtur Sacra Congregatio.

6 Rogas. Si quis non valde sollicitus de culpa veniali, quam ut diximus §. 1. nu. 6. ex nostra sententia

Cc

con-

contraheret; celebraret nihilominus funebrem Missam in Altari privilegiato die Lunæ forte prohibito, liberaret ne animam? Respondeo liberaturum, quia licet venialiter peccaret, ponit tamen totum id, quod Summus Pontifex ad ejusmodi liberationem requirit. Multo magis id verum habet in sententia Suarii ibidem relata, per quam solum fieret contra Rubricam; non vero peccaretur.

Qui promittit Missas celebrare in Altari privilegiato, an possit alibi satisfacere cum calculo benedictio, dicam lib. 3. c. 2. §. 1. nu. II.

§. VII.

*De Missis Sancti Gregorii,
promissis.*

3 Sanctus Gregorius papa precepit Abbati pretioso, ut pro Monacho quodam Defuncto,

§. Gregor. lib. 1. dial. c. 55.

triginta Missæ celebrarentur, his
 verbis. *Vade ab hodierna die diebus*
triginta continuis, efferre pro eo Sa-
crificium stude, ut nullus omnino pra-
termittatur dies, quo, pro absolutione
illius, Hostia Salutaris non offeratur.

2 Ex quo Sancti Gregorii præ-
 cepto ortum habuit ut Fidelium
 pia devotio similes Missas, simili-
 que modo, pro suis Defunctis, cele-
 brandas, sæpe curaret, nec eas Sa-
 cra Congregatio unquam prohi-
 buit, licet prohibuerit a quasdā
 alias pro Vivis, & Defunctis, quæ
 ut S. Gregorii, falso circumfereban-
 tur.

3 Nota autem in verbis S. Gre-
 gorii Primo, illud (*offerre pro eo Sa-*
crificium) ubi cum datur sacrifi-
 cium, non vero sacrificium de De-
 functis, aperte constat, non esse ne-
 cesse, ut recitetur *Missæ de Requiem,*

cc 2 sed

a Sacr. Cong. apud Gavant. in Rubr
 Miss. p. 1. t. 5. n. 3. litt. O. §. Dubitatum
 Bq. am. p. 2. resp. cas: const. casu 13-

sed solum ut applicetur Missa pro Defuncto.

4. Nota Secundo, illud (*offerre stude*) hinc enim sequitur non oportere unum, eundemque Sacerdotem omnes triginta Missas celebrare, cū non dicat Sanctus Doctor, *offer*, seu *offer per te sed offerre stude*.

5. Nota Tertio illud (*continuis, & Nullus omnino pratermittatur dies*), nam in his verbis geminatis satis liquet, si huac S. Gregorii Ricum servare intendas, non debere discontinuari, ne unum quidem diem, Missas.

Tria tamen in hoc Tertio notando sunt subadvertenda. Primo ob triduum majoris hebdomadæ, in quo non celebratur, non discontinuari prædictas Missas, non enim est credibile, Deum eas non acceptare ut continuas, dum servatur ejus Sponsæ Ecclesiæ tam pia consuetudo.

Secundo, in hac tum continuatione, tum numero evitanda esse
super;

superstitionem, quam universaliter
 Concilium Tridentinum merito
 damnat. Hæc autem in eo, quo ad
 rem nostram, potissimum consiste-
 ret, quod putaret aliquis in ipsa
 Physica continuatione, aut nume-
 ro inesse aliquam vim ad effectum
 intentum. Non quidem numerus,
 vel quid simile, sed Christi immo-
 lati virtus vim habet satisfactoriã,
 conducitque non parum in Dei me-
 moriam veluti revocare merita S.
 Gregorii, qui pie credendus est eas
 triginta Missas ad honorem ejusdẽ
 Christi Domini in domo privata
 Sanctissimæ Matris per totidem
 annos commorantis, & famulan-
 tis, instituisse.

Tertio, si quis triginta Missas in
 diebus discontinuis dicendas cura-
 ret, valere ad satisfactionem pœna-
 rum defuncti, & quidem, si simul,
 una die dicerentur, valere citius;
 sed ejusmodi Missas celebratas non

esse

a Concil. Trid. sess. 12. decret. de obs. in-
 sel. Miss.

esse rigoroſe eas, quas S. Gregorius
inſtituit, ſiquidem ipſe continua-
ras, ut ex ejaſ verbis modo poſitis
num. 1. patet, ordinavit; quod rectè
notavit Gavantus *a* immerito reje-
ctus à Diana. *b*

Hiſ poſitis: quærebantur An, in-
cidente die duplici, vel ſimili pri-
vilegiato, ne interromperentur di-
ctæ Miſſæ, poſſet recitari Miſſa Fu-
nebris: Reſpondi, hoc dubium lo-
cum hic habere nullum, ſiquidem
ex dictis n. 3. ſatis erit, ſi Miſſa cur-
rens pro Defunctis applicetur.

Ceterum ex hoc, atque ex dictis
à §. 2. uſque ad ſextum facile colli-
gere poteris, qua ratione te gerere
debeas, ſi quando prædictas Sancti
Gregorii Miſſas promiſiſti.

§. VIII.

*a Gavant. in Rubr. Miſſ p. 1. tit. 5.
num. 3. litt. D. b Dian. p. 2. c. 14. reſ
52.*

§. VIII.

*De Missis Sancti Beatificati, nondum
Canonizati promissis.
Vbi.*

*An alii à Privilegiatis possint esse
Missas celebrare.*

Incidit hic nova dubitatio. Pro-
misit secularis Sacerdos, accep-
to stipendio, celebrare quasdam
Missas de Beato Francisco Borgia
Societ. Iesu primo Octobris, &
quasdam de Beato Aloysio Gonza-
ga 21. Iunii, qui sunt dies festi eo-
rum natalium; (& potuisse pro-
mittere de Sanctis tribus Martyri-
bus Paulo Michi, Ioanne de Goro,
& Didaco. Quizai 5. Februarii, vel
altorum similium Beatificatorum,
qui nōdum solemnī Canonizatio-
ne in Sanctorum numerum sunt re-
lati) putans sibi sine hæsitatione li-
cere eas Missas recitare; sed cū co-
gnoviss-

gnovisset, Summos Pontifices tunc non concessisse facultatem celebrandi, nisi Religiosis Soc. Iesu, quæsit. An posset stare promissis.

2. Dixi (tunc) nam postea Sancta Sedes extendit a prædictas concessiones ad omnes Sacerdotes confluentes in Ecclesia Societatis.

3. Et quidem resolutio pendet ab illa quaestione. Anposito quod Pontifex concedit aliquibus determinatis personis, & sub determinato aliquo ritu, venerari Sanctum Beatificatum possint licite omnes alii uti tali concessione? Postuarne v. gr. Sacerdotes omnes sæculares prædictos, vel similes Beatos venerari per Processionem, & Missam in honorem eorum oblatam, perque
alios

a Greg. XV. in Sede Principis 1621.
pro B. Aloysio Urb VIII Alias 1625. pro
B. Borgia. Idem Salvatoris 1627 jun-
cto decr. Sacr. Cong. 20. Sep. 1629. pro
trib. Martyribus.

alios cultus Sanctis dari solitos, siue in sua Ecclesia, siue in aliena, siue ipso die Natalis, siue alio? Nam profecto si possunt, poterit & hic Sacerdos illas Missas, quas promissit celebrare, secus, non poterit, sed celebret currentes iis diebus juxta superius dicta §. 2.

4 Pugnans utrimque Doctores, & Turranius *a* quidem cum Granado, *b* aliique negant. Concedit Castropalaus, *c* aliique ab ipso citati, & consulti.

5 At, amabo te, siste his parumper, amice Lector, Diana *d* affirmat per Theologos Salmanticenses fuisse id determinatum pro negantibus, quod ipse se cognovisse dicit ex relatione M. Dominici de los Reys Ordinis Prædicatorum: Castropalaus *e* asserit per eosdem Doctores Salmanticenses fuisse determinatum

a Turr. 22. t. 1. c. 13, d. 3, b Gran. 12 Contr. t. tr. 7, dis. 4, sc. 2, n. 2, c Castrop. t. 1. t. 4, d. 1 p. 5 § 5 nu. 4 d Diana t. 2 tract. 15 res. 55 e Castrop. ib. n. 8

minatum pro concedentibus. Cui ex his duobus fides habenda sit? Certe majoris momenti videretur Castropalaei testimonium, quippe qui testatur se, & fuisse praesentem, & unum ex Doctoribus, qui rem disputatam pro concedentibus decreverunt. Quapropter concludo (verba sunt Castropalaei) posse Ecclesias Cathedrales, & Episcopos cum suis Clericis supradictos Beatificatos honorare Missa Pontificia, & Officio votivo (hoc est ex devotione non obligatione) processioneque solemniter. Cui opinioni subscripserunt Salmantica anno Domini 1625. cum hic casus consultus fuit, Doctor Balba, &c. Et numeratis circiter viginti Doctoribus, seu Magistris, qui se subscripserunt, addit. Et ego minimus, aderam enim, tunc Salmantica.

6 Dicet fortaſſe quis. Distingue tempora, & concordabis. Respondeo. At difficile mihi videretur tantam ſententiarum mutationem factam fuiſſe inter tempus à Caſtropalae

Atropalao notatū, & tempus, quod
 colligitur ex Diana. Castropalai
 determinatio fuit anno 1625. quam
 idem Lugduni impresit anno 1631.
 Dianæ vero relatio typis evulgata
 est anno 1632. quando scilicet idem
 Diana edidit panormi primum, &
 secundum Tomum suarum Reso-
 lutionum: Cum ergo tempus im-
 pressionis fere cōsentiat, cōsentire
 & tempus determinationis proba-
 bile est. Melius fortasse suspicari
 quis posset, patres Ordinis prædi-
 catorum non consensisse cum cete-
 ris Salmanticensibus Magistris, at-
 que adeo M. Dominicū de los Reys
 ejusdem Ordinis, potius significas-
 se Dianæ prædicatorum placitum,
 quam Salmanticensium Doctorum
 resolutionem. Suspicionis meæ cō-
 jectura est, quia inter Theologos,
 ac Magistros Salmantenses a Ca-
 stropalao citatos adsunt ex familia
 Sancti Augustini, B. Bernardi, S. Be-
 nedicti, Beatissimæ Virginis de la
 Merced, nostræ Societatis; ac mag-

gnum silentium de Familia Prædicatorum; fortasse quia contrariam opinionem amplexi sunt. Sed propius ad quæstionem accedamus.

7 Ratio negantium est, quia in *e. i. de Relig. & Ven. Sanctorum* nemini licere dicitur absque auctoritate Sedis Apostolicæ aliquem honore publico venerari: Cum ergo tales Beatos venerari sit privilegium, seu gratia. Privilegii autem natura sit, ut non extendatur de persona ad personam; & gratiæ item natura sit ut solum intelligatur concessa juxta verba supplicationis, sequitur id concedi tantum determinatis personis, & quidem solum illis, pro quibus talis gratia fuit expostulata, non vero aliis.

8 Adde Primo: responsionem Sacræ Congregationis & Cardinalis Bellarmini negantium.

9 Adde Secundo, non fore differentiam inter Sanctos Canonizatos

a Apud Dianam & Turv. citatos.

eos præsertim non positos in Calendario Romano, & inter Beatificatos, si de his indifferenter Missa offerri, & ceteræ solemnitates fieri, pro iisdem, possent.

10 Ratio concedentium, cum quibus sentio, est, quia, cum una Missa eiusdem sit valoris, & dignitatis, ac aliæ quælibet statim atque Pontifex declarat talem Beatum dignum esse una Missa; quæ dicatur ab una determinata persona declarat illum esse digna omnibus ceteris Missis à quocumque, & quomodocumque celebrandis. Si igitur Beatus remanet sic dignus declaratus, non est unde quilibet Sacerdos impediatur illum, per suas Missas, venerari, nec venerabitur, sine Sedis Apostolicæ auctoritate, hæc enim jam intercedit, per illam declarationem, qua dignus missa declaratus est Beatus.

11 Hinc infert merito Castropalaus, posse quemlibet ejus imaginem adorare, adorandum in Altari

Dd

consti-

constituere, publicis processioni-
bus circumferre (adde, & ejus col-
lectam, seu, commemorationē fa-
cere in Missa, infra annū, quod im-
merito; sed consequenter ad suam
sententiam; negavit Granado (Ra-
tio est, quia hi cultus longe inferio-
res sunt Missa, quare si hanc Ponti-
fex concedit, concedit & illos.

12 Ad Rationem negantium Re-
spōdemus per illam concessionem
determinatis personis factam, au-
ferri prohibitionem latam *in d. c. 1.*
Non est igitur recurrendum ad natu-
turam Privilegii, seu gratiæ quam-
vis enim habitus fuerit aliquis re-
spectus ad dictas Religiones, ita
tollenda tali prohibitione, illa ra-
men ablata, omnes sacerdotes sine
nova gratia remanent liberi ad ve-
nerandum Beatum Missa, & Offi-
cio, ab ipsis ex voluntaria devotio-
ne celebrandis.

13 Ad id, quod primo additur
satis sit, nunc dicere, de illis res-
poncionibus non constare aucten-
tice.

14. Ad id, quod additur secundo, respondeo, esse, ut cetera taceam, differentiam, quia de Beatificationis permittitur dici Missa, ex vi nimirum ablationis prohibitionis latae In dicto cap. 1. At de Canonizatis etiam nondum ascriptis in Calendario Romano, positivè idem conceditur ex vi Canonizationis publicæ omnibus intimatæ. Quare sacerdos sæcularis, qui negligeret canonizatis Missam celebrare, quando, eis etiam non ascriptis in Calendario illa competit (ut in propria Ecclesia, quando de ijs sit festum, tunc enim etiam non ascriptis convenit Missa, &c.) fecerit contra Rubricas, ac sæcularis, qui negligeret similem Missam celebrare in festo, & propria Ecclesia Beatificationi non ageret contra Rubricas, quia quomodocumque Beatificationis Missa sæcularium non debetur, sed solum permissivè iisdem sæcularibus indulgetur.

15. Confirmo sententiam hanc, quam merito probabiliorè, ac magis

gis piam vocat Castropalaus, a cō-
firmo, inquam, in hunc modum, ve-
sacerdos secularis non potest cele-
brare Missam de Beato Borgia v. g.
quia Beatus nondum indicatur di-
gnus honore Missæ, & hoc non, ut
modo num, 10. vidimus: vel quia
ipse sacerdos est impeditus, & hoc
non, quia nemo impeditur venera-
ti Beatum honore, quo dignus re-
putatus ab Ecclesia est: ergo cum
aliud caput excogitari nequeat cur
non possit? Fac hunc Sacerdotem
esse regularem, tunc certè proce-
deret argumentum contra ipsum,
hoc modo. Vel hic non potest cele-
brare Missam de Beato, quia Beatus
nōdum est reputatus dignus Missæ,
ad hoc non, ut dictum est: vel quia
ipse sacerdos est impeditus, & hoc
quidem sic, quia ob censuram est a
sacrificando exclusus. Cum igitur
in casu nostro sacerdos nullo eius-
modi impedimento laboret, sane
poterit.

16. Gra-

a Castropal. ib. n. 7.

16. Grando a concedit, si in Diplomate Pontificio fiat potestas Religiosis celebrandi in honorem Beati, & non addatur particula *taxativa* valde probabile esse, posse alios quoscumque sacerdotes celebrare, dummodo id fiat parentibus illis Religiosis, quibus facta est concessio. Ratio est, (inquit) quia ex Regula iuris, *qui facit per alium, est perinde ac si faciat per se ipsum*: Et quia, Capellanus potest sacrificare per alium.

17. In hoc dicto vnum placet, alterum displicet. Placet ipsa concessio; nostris enim Beatificatis sufficienter favet, siquidem in Brevibus de ipsis, non adest particula *taxativa*. Displicet vero Ratio, illa enim Regula habet *h* sexentas limitationes, & rectè Glossa *c* sic habet. *Quid facit per alium est perinde ac si faciat per se ipsum, quando ille a-*

D d 3 *Etus*

a Gran. ib n. 16. *b* Gloss. in Reg. 63. *c* Gloss. in Reg. 72. *d* de Reg. iur. in 6.

Etus potest (cuique de jure) *expedire per alium*. Quare debuit Granado probare hunc actum celebrandi concessum Religiosis posse per alium de jure expediri, ergo nihil probavit afferendo secum illam Regulam: multo minus afferendo exemplum Capellani, de quo constat non obligari personaliter. Adde adversarij ajunt hanc concessionem esse Privilegium solum personis Religiosis concessum, & in hoc ponunt totam vim suæ probationis, ut vidimus n. 7. qua ratione probare valent alijs competere posse, adeoque posse ejusmodi actum celebrandi de Beatis per alium expediri.

18. Dices, quid ergo, per nos operatur, seu significat particula *etiam*, quando in dictis concessionibus inveniatur? Respondeo, significat, & quidem explicite, tale privilegium concedi positivè solis illis Religiosis, qui propterea contra Rubricas operarentur, nisi pro Beato celebrent, quando ipsis competit

Missa

Missa
tur,
missi
19
det e
stare
sente
men
quæ

An

Præ

C

run
po
par
co

Missa; tamen non propterea tollitur, quod & aliis indulgeatur permissivè ut ex dictis patet.

19 Ex his quilibet facile concludet eum Sacerdotem nu. i. allatarum stare promissis. sequendo nostram sententiam, potuisse: potuisse tamen non stare, si secus fuisset alia, quæ certè probabilis est.

CAPVT VII.

An interrumpi Missa aliquando possit.

§. I.

Præmittuntur aliqua certa de Interruptione Missæ.

CERTUM est Primo, nunquam quoad partes essentielles interrumpi Missam, sine gravi peccato posse v. gr. non potest consecrato pane, ita interrumpi, ut omitatur consecratio Calicis, nec consecrato pane,

pane,